

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

IIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

que pœnas sentiant, qui, dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utraque serviebant.

II. Prosper Aquitanicus libro III. de vitâ contemplativâ, c. XII. Edit. Lugd. p. 64. damnatos omni actione videtur privare & subjicere meræ passioni: *Quid est, inquit, obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione privari, sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à Domino, qui est mentium lumen, expelli?* Et post pauca: *Sed nos jam, si videtur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiant, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores voluptatum suarum tunc sua damnationis experimento probabunt, quando jam, quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his, inquam, terrificis & tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus perficientium mentes in spem promovenda beatitudinis asurgunt, abjuratisque terrenis cœlestia concupiscunt.* Quamquam generalia verba de auctoris certâ sententia non patiantur, aliquid indubii pronunciarum.

IX. Anshelmus, libro de Similitud. c. XLIX. *Erit ibi turpitudine, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia.* Septem priores hujus miseriæ partes corporis, septemque ultima miseriæ perficiunt mentis. Hugo Victorinus, lib. IV. de An. c. XIII. odium sui & aliorum damnatis adscribit, quod utique peccatum est. *Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.* Omnis, qui est in eo, odit se & omnes alios. *Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimum est majus omnibus his tormentis, quæcunque in hoc seculo fieri possunt.*

X. Bernhardi Clarevallensis Abbatis, haud obscura est de peccatis inferorum opinio, quam aliquoties prodit. Sermone de Beatâ Mariâ, Edit. Basil. p. 2198. *Infernus hic incipit, alibi perficitur, cum anima vitio, caro supplicio atteritur.* De verbis Origenis, p. 588. *Abfit, ut in cœlo credatur locus esse tristitiæ, (visus autem hoc fuerat Origenes asserere, dicendo: Salvator meus luget etiam nunc peccata mea & tamdiu est in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore) sicut nec culpa. Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest, sicut nec in terrâ quidem pœna ulla fuisset, nisi iniquitas præcessisset.* In cœlo utique sola justitiæ, sola nihilominus latitiæ est: *in inferno solum peccatum & pœna peccati*  
por-